



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod fides est de his quæ non videntur proprie: ipsa tamen videtur ab eo
in quo est. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Cap. 2. in
princ.

Ibid. paulo
inferius.

Ibid paulo
superius.

In hom. su-
per euang.
26. circa me-
dium, & lib.
4. d. al. cap 5.
Ioan. 20. 8
In lib. 13 de
Trin. cap. 1.

ex hac intelligentia dicitur vna fides, quia idē iubemur credere. & vnum idemq; est, quod creditur à cunctis fidelibus. Vnde fides catholica dicitur, id est vniuersalis. Si vero accipiatur fides pro eo quo creditur, ea ratione vna dicitur esse fides, non quia sit vna numero in omnibus, sed genere, id est similitudine. Vnde Aug. in li. 13. de Trin. fides, quae qui habent, fideles vocatur, & qui non habent, infideles, communis est omnibus fidelibus: sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habeant. Non enim fides numero est vna, sed genere: quae cum sit in vno, est & alijs, non ipsa, sed similis, & propter similitudinem magis vnam dicimus esse, quam multas. Sicut idem volentium dicitur vna voluntas, cum tamen cuique sit sua voluntas: & duorum similium dicitur facies vna. *Quod fides est de his, quae non videntur proprie, quae tamen videntur ab eo in quo est.* G

Notandum quoque est, quod fides proprie de non apparentibus tantum est. Vnde Greg. Apparentia non habent fidem, sed agnitionem. Idem, Cum Paulus dicat. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium: hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Nam credi iam non potest, quod videri potest. Thomas aliud vidit, & aliud credidit: hominem vidit, & Deum confessus est dicens, Dominus meus, & Deus meus. De hoc etiam Aug. ait. Fidem ipsam videt quisque in corde suo esse, si credit: vel non esse, si non credit. Non sicut corpora quae videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines, quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus: nec sicut ea, quae non videmus, & ex his quae videmus, cogitationem utcumque formamus, & memoriae commendamus. Nec sicut hominem, cuius animam etsi non videmus, ex nostra conijcimus, & ex moribus corporis hominem, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides

des in corde in quo est, ab eo cuius est, sed eā tenet certissima scientia. Cum ergo ideo credere iubeamur, quia id, quod credere iubemur videre non possumus: ipsam tamen fidē quādo est in nobis, videmus in nobis, quia & rerū absentium præsens est fides, & rerū, quæ foris sunt, intus est fides, & rerum quæ nō videntur, videtur fides: & ipsa tēporaliter fit in cordibus hominum, & si ex fidelib. infideles fiant, perit ab eis. His verbis euidenter traditur, fidē ipsam in corde hominis ab ipso homine videri nō corporaliter, nō imaginarie, sed intellectualiter: & ipsam tamē absentium & eorum, quæ non vidētur esse. Vt n. Aug. alibi ait. Credimus vt cognoscamus, nō cognoscimus vt credamus. Quid enim est fides, nisi credere, quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere, veritas quod credidisti videre. Vnde recte fides dicitur argumentum vel conuictio rerū non apparentium: quia si fides est, ex eo conuincitur & probatur aliqua esse non apparentia, cū fides nō sit nisi de non apparentib.

Descriptio fidei.

H

Ait n. Apost. Fides est substantia rerum sperandarū, argumentū vel conuictio nō apparentium; quia per fidem subsistunt in nobis etiā modo speranda, & subsistunt in futuro per experiētiam. Et ipsa est probatio & conuictio non apparentium, quia si quis de his dubitet, per fidem probatur: vt adhuc probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchæ & alij Sancti. Vel probatio est & certitudo, quod sint aliqua nō apparentia, vt supra dictū est. Proprie tamē fides dicitur substantia rerum sperandarū, quia sperādi substāt: & quia fundamentum est bonorū, quod nemo mutare pōt.

Si illa descriptio spei conueniat.

I

Si vero quæritur, an hæc descriptio spei conueniat: sane concedi potest vtrumlibet. Si autē dicatur conuenire, sunt & alia plura quibus differunt fides

*Ibid. paulo
inferius.*

*Super Ioann.
40. Tract.
27. 10. 9. cir-
ca illud, c. 6.
& nos credi-
mus & co-
gno.
Heb. II. 6*